

fieri vel parva conversio et initium dederit repedandi, paulatim procedens et ad superiora referens pedem, illa quidem quae vehementior erat flamma post tergum remanebit, ante pedes vero quanto acrius coeperit incedere, 55 tanto omnia inveniet divini cuiusdam roris sopita refrigerio. Tantum est ut unum quod praecipue inimicum est saluti huic caveamus. Inimica autem est conversioni et paenitentiae desperatio. Quae si insederit mentem, quantumcumque sit salutis desiderium, quamvis sit 60 grande salvandi propositum, desperatione occurrente, omnes salutis aditus obstruentur, intersecta enim paenitentiae via, clauditur pariter et agonis ingressus. Et quomodo iam poterit qui extra viam est et cui ostium clauditur boni aliquid operis implere, cum ad bonorum non 65 veniat ingressum, desperatione prohibente? Propter hoc et Diabolus omnibus modis machinatur huiusmodi cogitationes plantare in cordibus nostris. Si enim nos desperationis metus procul a via virtutis effecerit, nullum ei adversum nos certamen ultra remanebit. Quem enim 70 impugnet, cum nullus obsistat? Si quis autem istud resolvere potuerit vinculum, continuo vires suae redeunt ad eum, incalescit vigor animi, delectabit rursus restaurare certamina, videbit enim se fugare eum quem fugiebat et persequi persequentem. Quod etsi forte, ut se habet 75 agonis condicio, rursus labatur aut cadat, non continuo lapsus sui pudore desperare iterum debet sed meminerit hanc esse agonis et certaminum legem, non ut nunquam quis cadat sed ut nunquam cedat; quia non ille qui saepe cecidit victus dicitur, sed ille qui ad ultimum